INDICES
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCLXVII USQUE AD D. XXVIII. M. MARTII MDCCCLXVIII

HABENDAE PROPONUNTUR.

Praemissa sunt *Leopoldi Schmidtii* antiquitatum graecarum capita duo.

MARBURGI.

TYPIS ACADEMICIS ELWERTI.

ACADEMIAE MARBURGENSIS
PRORECTOR CUM SENATU
COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS
S. P. D.

I.

In Lacedaemoniorum republica qui a veteribus scriptoribus exstitisse perhibentur ὅμοιοι, de eorum significatione ita fere dissentire viros doctos constat, ut alii illo nomine omnes Spartanos, qui quidem pleno civitatis iure fruerentur, comprehendi existimarent, alii nobiliorem aliquem quasi quorundam optimatium ordinem eo appellari contenderent. Quarum quidem sententiarum eam quam prius commemoravi prae aliis Pastoretus in historiae legislationis tomo quinto p. 269 et p. 287—289, Wachsmuthius in libri de antiquitatis Hellenicae scientia volumine primo p. 689, Maximilianus Riegerus in disputatione de ordinum homoeorum et hypomeionum qui apud Lacedaemonios fuerunt origine, Schoemannus in Opusculorum academicorum volumine primo p. 108—148 sunt amplexi: neque, quod ad nominis vim attinet, magnopere ab hac discedit Caroli Friderici Hermanni (in Antiquitatibus Laconicis p. 109—152), Friderici Haasii (in editione libelli de republica Lacedaemoniorum p. 320) et Kopstadtii (in libro de rerum Laconicarum constitutionis Lycurgeae origine et indole p. 82—92) ratio, qui hoc genus civium cursu temporis mirum quantum imminutum eoque homoeorum numerum ad paucissimos reductum esse putant. Secundam autem sententiam praeeunte quodammodo Odofredo Müllero — nam quod is in Doriensium tomo secundo p. 83 brevius sane et obscurius paullo disputavit, in hanc potissimum partem accipiendum videtur — G. C. Lewis Britannus in Musei philologici Cantabrigiensis volumine secundo p. 63—71, Car. Henr. Lachmannus in historiae graecae volumine primo p. 458—468, Ioannes Guilielmus Loebellius in Raumeri epistolis antiquariis p. 241—256 defenderunt.

Atque ei qui homoeorum significationem omnes Spartanos pleno civitatis iure fruentes complexam esse arbitrantur, duobus maxime Xenophontis locis nituntur: hic enim in Anabasi l. IV, c. 6, §. 14 Chirisophum Lacedaemonium eis verbis alloquitur, quibus omnes homoeos inde a pueris furando adsuefactos esse significatur (ὑμᾶς γὰρ ἔγωγε ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἐστὲ τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾶν), id quod aliunde constat ad omnes adolescentes civili disciplina educatos pertinuisse, et in commentario de republica Lacedaemoniorum — liceat nimirum hunc Xenophonti tribuere — c. 10, §. 7 e Lycurgi institutis eos, qui reipublicae debita praestare per socordiam et ignaviam omitterent, ne in homoeorum quidem numero habitos, reliquis autem paria civitatis iura impertita esse narrat (τοῖς μὲν γὰρ τὰ νόμιμα ἐκτελοῦσιν ὁμοίως ἅπασι τὴν πόλιν οἰκείαν ἐποίησε καὶ οὐδὲν ὑπελογίσατο οὔτε σωμάτων οὔτε χρημάτων ἀσθένειαν· εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι), ut nullum inter homoeos et cives discrimen agnoscere videatur. Quod contra ei qui selectum quendam Spartanorum ordinem homoeorum nomine appellatum esse putant, in primis Demosthenem auctorem adhibent, qui in oratione adversus Leptinem §. 107 cives bene meritos apud Spartanos hoc praemio adfectos esse contendit, ut gerusiae participes fierent eoque μετὰ τῶν ὁμοίων reipublicae domini essent (ἐπειδάν τις εἰς τὴν καλουμένην γερουσίαν ἐγκριθῇ παρασχὼν αὑτὸν οἷον χρή, δεσπότης ἐστὶ τῶν πολλῶν· ἐκεῖ μὲν γάρ ἐστι τῆς ἀρετῆς ἆθλον τῆς πολιτείας κυρίῳ γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων). Eidem vero praeterea ad gravissimum testem Aristotelem provocant: is enim ubi in quinti Politicorum libri capite octavo de optima ratione et oligarchiae et aristocratiae conservandae agit, nonnulla instituta democratica ad eas ita quidem transferri iubet, ut totus ὁμοίων numerus δήμου instar sit: nimirum paucos illos, qui in eiusmodi civitatibus publica iura exercent, ὁμοίων nomine complectitur eorumque communes condiciones cum ea aequalitate comparat, quae in democratiis omnes cives coniungit. Verba haec sunt: ὃ γὰρ ἐπὶ τοῦ πλήθους ζητοῦσιν οἱ δημοτικοὶ τὸ ἴσον, τοῦτ᾽ ἐπὶ τῶν ὁμοίων οὐ μόνον δίκαιον ἀλλὰ καὶ συμφέρον ἐστίν. διὸ ἐὰν πλείους ὦσιν ἐν τῷ πολιτεύματι, πολλὰ συμφέρει τῶν δημοτικῶν νομοθετημάτων, οἷον τὸ ἑξαμήνους τὰς ἀρχὰς εἶναι, ἵνα πάντες οἱ ὅμοιοι μετέχωσιν· ἔστι γὰρ ὥσπερ δῆμος ἤδη οἱ ὅμοιοι, διὸ καὶ ἐν τούτοις ἐγγίγνονται δημαγωγοὶ πολλάκις, ὥσπερ εἴρηται πρότερον. Qui vero praeterea in hac quaestione adferri solent Xenophontis loci, eos vix quisquam contendet ita comparatos esse, ut ad rem diiudicandam valeant. Neque enim illo multum proficimus, quod in tertii Hellenicorum libri capite tertio Cinado celeberrimae coniurationis auctor inter homoeos non fuisse dicitur, neque illo quod praeter εἵλωτας, περιοίκους et νεοδαμώδεις in eodem capite ὑπομείονες quoque inter eos enumerantur qui

pleno civium Spartanorum iure non fruebantur ideoque ad seditiones proniores erant, neque illo quod in libelli de republica Lacedaemoniorum capite decimo tertio (§. 1 *συσκηνοῦσι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς ἄνδρες τῶν ὁμοίων,* scilicet praeter polemarchos, et §. 7 *ὅσοι ἂν σύσκηνοι ὦσι τῶν ὁμοίων*) regibus semper terni ex homoeis contubernales fuisse perhibentur. Nam de *ὑπομειόνων* rationibus ut nullo pacto constat, ita contendere ob speciem oppositae notionis non licet cunctos, qui non fuerunt *ὅμοιοι,* fuisse *ὑπομείονας,* quod autem ad regum *συσκήνους* attinet, neque incredibile est horum liberam, non servilem condicionem scriptorem significare voluisse neque absonum est cogitare eos e nobiliorum ordine desumptos esse, siquidem talis apud Lacedaemonios exstabat. Nihil certius inde concludi posse, quod Aristoteles in Politicorum libri quinti capite septimo Parthenias Tarenti conditores *ἐκ τῶν ὁμοίων* fuisse adfirmat, facile intelleget qui reputarit, quam anceps et lubrica sit de Partheniis fama. Quocirca omnis de homoeis quaestio e quattuor illis, quos primum appellavi, Xenophontis, Demosthenis et Aristotelis locis pendere videtur, inter quos tamen, si accuratius rem inspicimus, Xenophonteos duos longe plurimum valere patet. Nam Demosthenes ut in institutis Spartanorum iudicandis non nimis gravis est auctor, ita quae ille dicit facile in eam sententiam accipi possunt, ut verba *μετὰ τῶν ὁμοίων* omnino non ad certum aliquem homoeorum ordinem referantur, sed ad exemplum Homerici illius *ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον* significent 'cum suis paribus': immo haec explicatio prorsus est necessaria, quia gerontes recens electi, siquidem in civitate dominari occipiebant, certe cum reliquis gerontibus, non autem cum omnibus homoeis dominabantur. Aristotelem vero, ubi de oligarchiis universe exposuit, minime necesse est de peculiaribus Spartanorum institutis cogitasse, praesertim cum de Spartanae reipublicae indole dubitaret eamque oligarchiis proprie dictis adnumerare nollet. Quod contra duo illi Xenophontis loci longe disertius, immo tam diserte loquuntur, ut errorem vix credibilem scriptori in rebus Spartanis nonnihil versato imputare videatur, qui homoeos partem tantum civium, non omnes cives pleno iure praeditos complexos esse statuat: atque hoc maxime in eum locum cadit, qui homines debitorum erga civitatem immemores ne inter homoeos quidem numeratos esse pronuntiat, id quod de elatiore ordine angustis finibus circumscripto nemo profecto dicturus fuisset. Itaque longe plures eorum, qui rem perscrutati sunt, interque eos etiam Georgius Schoemannus, latiorem et ut ita dicam *δημοκρατικωτέραν* nominis significationem probarunt.

Verum enimvero is qui hanc rationem postremus defendit, Henricus Steinius in Jahnii Annalium volumine LXXXIII, p. 562, illam quoque etsi manifesto probabiliorem tamen et ipsam suis quibusdam difficultatibus impediri neque omnem dubitationem

tollere haud profecto iniuria est confessus. Nam inter socios coniurationis a Cinadone cum non homoeis factae a Xenophonte (Hell. III, 3, 11) commemorari Tisamenum fatidicum, quem propter locum Herodoti IX, 33—35 credibile sit civem Spartanum fuisse: nec minus mirum esse quod in libello de republica Lacedaemoniorum c. 13, §. 7 fatidici regibus in bello adiuncti simul cum medicis et tibicinibus ab homoeis distinguantur (*εἰσὶ δὲ οὗτοι, ὅσοι ἂν σύσκηνοι ὦσι τῶν ὁμοίων, καὶ μάντεις καὶ ἰατροὶ καὶ αὐληταὶ οἱ τοῦ στρατοῦ ἄρχοντες, καὶ ἐθελούσιοι, ἤν τινες παρῶσιν*): praeterea autem ex ea ratione, qua Aristoteles *ὁμοίων* vocabulum ad aristocratiarum et oligarchiarum nobiles universe adhibeat, facile suspitionem de simili eius apud Spartanos significatione nasci. Quorum argumentorum etsi secundum non nimium valet, cum illa Xenophontis verba non ab homoeis, sed a desumptis ex homoeorum numero regum contubernalibus tibicines distinguant, primum tamen et tertium suo pondere non carere concedendum est, ut haud inutile sit rem denuo examinare. Atque fortasse illud in viam ducere potest quod idem Steinius de nominis origine non sine sagacitate est suspicatus. Putat enim homoeos non tam ab aequalitate iuris atque ordinis quam ab aequalitate vitae rationis nomen duxisse atque in eam proprie significationem dictos esse in quam Thucydides *ἰσοδιαίτων* vocabulo utatur, cum in libri primi capite sexto de Lacedaemoniis haec praedicet: *πρὸς τοὺς πολλοὺς οἱ τὰ μείζω κεκτημένοι ἰσοδίαιτοι μάλιστα κατέστησαν.* Id quod ego ita probaverim ut proprie quidem vitae rationis et universae disciplinae aequalitatem eo vocabulo denotari, simul autem eam quae inde fluxit iuris paritatem indicari existimem: ita enim facilius intellegitur qui factum sit ut ad omnium oligarchiarum nobiles nulla nisi iuris communione inter se coniunctos eius usus transferretur. Quod si recte coniectum est, fieri vix potuit quin inter liberos Spartanos et tales exstarent, qui omnibus numeris recte, et tales qui minus accurate et quodammodo benignius homoei vocarentur. Etenim exercitationum militarium gymnicarumque communio et syssitiorum societas, quae proprie eo nomine indicabatur, ut omnibus civibus secundum leges praescripta fuit, ita dubitari nequit quin, ut fert humana natura, cursu temporis hae leges sive propter neglegentiam sive propter curam rei familiaris sive propter egestatem minus severe ab illis sint observatae. Nec vero ullo pacto probabile videtur ea potissimum aetate, qua vetera instituta paullatim degenerabant, omnes, quicunque vel exercitationibus illis aliquamdiu se subtraxissent vel syssitiorum rarius participes essent vel symbolas tardius conferrent, civium iure statim privatos atque in inferiorem hypomeionum ordinem detrusos esse: immo id fere tunc tantum factum esse crediderim, cum partium studia haud paucorum civium remotione adiuvari posse viderentur. Atqui eos Spartanos, qui vel magistratibus potiri vel omnino

auctoritate apud reliquos pollere plurimum cupiebant, veri est simillimum summa cum assiduitate adnisos esse, ut eis quae praescripta essent usquequaque satisfacerent, ideoque statutam illam victus aequalitatem strenue observasse: hos autem in proclivi est suspicari ambitiosius sibi neque, si appellationis origo spectatur, prorsus immerito illud homoeorum nomen vindicasse, quod proprie omnium civium erat commune. Similiter apud Athenienses ei, qui rei populari maxime dediti aut erant aut videri volebant, non sine adfectatione *δημοτικοί* vocari cupiebant, neque absonum est contrariam quodammodo nostratium rationem comparare, qui verbum *Volk* nunc de universa natione nunc de inferiorum tantum ordinum hominibus usurpare solent, quasi superiores non satis recte pro parte populi habeantur. Atque hi quidem qui angustiore significatione homoei audiebant non nimium, si quid video, ab eis diversi erant, quos in secundi Politicorum libri capite nono *καλοὺς κἀγαθοὺς* vocat Aristoteles, notione scilicet ad reliquorum Graecorum intellectum magis accommodata usus, quosque gerusiae fere solos participes factos esse testatur: nam illos quoque singulari aliqua virtutis praestantia prae ceteris excellere studuisse eo evincitur, quod de gerontum dignitate addit: *ἆθλον γὰρ ἡ ἀρχὴ αὕτη τῆς ἀρετῆς ἐστίν.* Nec tamen ullo pacto refrager, si quis eos plerumque e certis gentibus procreatos esse existimet. Ceterum, ut hoc in transcursu moneam, nescio an eiusmodi quid Grotius quoque in historiae graecae volumine nono p. 345 indicare voluerit, quamquam ut brevius ita parum accurate et dilucide sententiam exposuit.

Itaque si recte haec coniecta sunt, homoeorum nomen, ubicunque de institutis accurate circumscriptis et tamquam norma civitatis agitur, non potest non originaria, i. e. latiore significatione accipi: quod contra ei scriptorum loci, qui nullum diligentioris distinctionis vestigium praebent, aliquanto aptius alteram admittent. Quocirca quod in Anabasi de educandorum homoeorum ratione et in libello de republica Lacedaemoniorum de exclusis ex homoeorum numero socordioribus civibus dicitur, id quidem dubitari nequit quin secundum eam vocabuli notionem explicandum sit, qua omnes cives complectitur: quod contra regum contubernales, ut quorum electio e consuetudine magis quam ex lege penderet, inter nobiliores et reipublicae officiis maxime deditos sumpti esse videntur, nec minus probabiliter angustior haec significatio in eo agnoscitur quod translato ad antiquum a recenti tempore usu Parthenias *ἐκ τῶν ὁμοίων* fuisse Aristoteles adfirmat. Cinado quod a Xenophonte dicitur *τὸ εἶδος καὶ τὴν ψυχὴν εὔρωστος, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων*, id ambigi potest utro modo accipiendum sit neque inde lucem accipit quod idem ab Aristotele (Pol. V, 7) perhibetur *μὴ μετεσχηκέναι τῶν τιμῶν*: verum qui reputaverit homines eo fere proniores esse ad

ambitionem quo minore intervallo ab honoribus sibi negatis separantur, is magis fortasse in illud inclinabit ut eum quoque civem minus nobilem fuisse opinetur, quem domesticae parentum rationes a continua officiorum publicorum cura et a capessendis magistratibus arcebant. Id quod propterea quoque non caret veri similitudine, quia ad exsequenda munera militaria Cinadone haud illibenter ephoros usos esse Xenophon refert (§. 9: ὑπηρετήκει δὲ καὶ ἄλλ' ἤδη ὁ Κινάδων τοῖς ἐφόροις τοιαῦτα): quo accedit quod si ille inferioris alicuius ordinis homo fuisset, mirandum esset eum non sive ἕνα τῶν ὑπομειόνων sive νεοδαμώδη sive περίοικον sive εἵλωτα potius appellari quam generaliter οὐ τῶν ὁμοίων dici*): nec vero eo hae rationes infringuntur quod Aristoteles ab illo paratam coniurationem ἐπίθεσιν ἐπὶ τοὺς Σπαρτιάτας vocat, ut cuius participes longe plurimos non fuisse Spartanos appareat. Capita autem coniurationis Spartanos fuisse e Xenophontis narratione colligi potest, qui inter haec et reliquam multitudinem accurate distinguit (§. 6: λέγειν . . . . ἔφη αὐτόν, ὡς σφίσι μὲν τοῖς προστατεύουσιν οὐ πάνυ πολλοί, ἀξιόπιστοι δὲ συνειδεῖεν· αὐτοὶ μέντοι πᾶσιν ἔφασαν συνειδέναι καὶ εἵλωσι καὶ νεοδαμώδεσι καὶ τοῖς ὑπομείοσι καὶ τοῖς περιοίκοις): unde illud quoque lucem accipit, quod inter primarios Cinadonis socios Tisamenus vates nominatur. Atque haec quidem si recte disputata sunt, aliqua saltem ex parte intellegi posse videtur qui factum sit ut καλοὶ κἀγαθοί, qui ὅμοιοι audire malebant, tantam potestatem acciperent ut secundum eorum voluntatem et longe plurima in republica regerentur et magistratus plerique tribuerentur: scilicet perpetua syssitiorum quotidianarumque exercitationum communione arctissime inter se coniungebantur eoque pollebant, reliquos cives, qui ex illis toti pendebant, nullo vinculo continente. Unum in tanta rerum Laconicarum obscuritate sic quoque perquam difficilem explicatum habet, illud dico quod secundum Aristotelis testimonium (Pol. II, 9) ephori inter omnes cives, immo saepenumero inter pauperrimos, eligebantur, unde multorum orta est opinio etiam ὑπομείονας, i. e. homines iure civitatis non praeditos, ephoros fieri potuisse: qua tamen opinione admissa propter quarti Politicorum libri caput nonum (ἔτι τῷ δύο τὰς μεγίστας ἀρχὰς τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν· τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ' ἐφορείας μετέχουσιν) etiam gerontes a non civibus eligi debuissent, quod parum est credibile. Verum quod de ephoris traditur, siquidem hariolari in re lubrica licet, fortasse propterea evenit, quia pauperrimos sibi maxime obtemperaturos esse et facillime a se corruptum iri καλοὶ κἀγαθοὶ sperabant, nam ephoros haud raro venales fuisse et ab Aristotele commemoratur et aliunde constat. Ita ut in hac quoque re aliquod nobiliorum

---

*) Cf. C. F. Hermannus, Antiqq. Lacon. p. 129.

auctoritatis vestigium cerni possit. Utut hoc est, is rerum status, quem assumptis in societatem inferiorum ordinum hominibus frustra labefactare studuit Cinado, effecit ut de Lacedaemoniorum reipublicae indole ab aliis aliter iudicaretur, quippe quae, si instituta spectantur, propius ad democratiam, si mores, propius ad oligarchiam accederet. Verum cum Spartani in aliis civitatibus instituta oligarchica quam maxime fovere et sustentare solerent, accidit ut ipsorum respublica pro norma quodammodo et exemplari oligarchiae haberi eo magis soleret, quo minus eius rationes singillatim cognitae erant, atque ob hanc causam, si quid video, homoeorum quoque nomen ad oligarchias vere dictas ita tranferebatur, ut *ὀλίγους* illos qui in eis plena civitatis iura exercebant denotaret.

II.

Si vera sunt quae superiore disputatione evincere studuimus, Spartani non semper diligentissime accurabant ut ea quae leges postulabant a singulis omnibus usquequaque observarentur: id quod non mirum est in ea republica, cuius praecepta totam civium vitam obstringere conabantur. Atqui, si veteres quosdam testes audimus, Atheniensium institutis multo severius provisum erat ne quis civium ei muneri se subtraheret, quod solum ad omnes simul pertinebat, deliberationi in ecclesia: huic enim ut omnes interessent, non tantum stipendio *ἐκκλησιαστικῷ* allecti, sed etiam, cum nihilominus repugnabant, funium ictu compulsi esse dicuntur. Ita ut secundum illos, siquidem in re antiqua germanicum proverbium allegare licet, pane saccharite et flagello (*Zuckerbrot und Peitsche*) ad complenda comitia usi esse Attici magistratus videantur. Res parum credibilis enarratur in scholio ad Aristophanis Acharnenses v. 22: *Ὑπὲρ τοῦ ἐξ ἀνάγκης αὐτοὺς εἰς τὰς ἐκκλησίας συνιέναι τοῦτο ἐμηχανῶντο καὶ πολλὰ ἄλλα. ἀνεπετάννυσαν γὰρ τὰ γέῤῥα καὶ ἀπέκλειον τὰς ὁδοὺς τὰς μὴ φερούσας εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὰ ὤνια ἀνῄρουν ἐν ταῖς ἀγοραῖς, ὅπως μὴ περὶ ταῦτα διατρίβοιεν· ἔτι μὴν καὶ μεμιλτωμένῳ σχοινίῳ περιβάλλοντες αὐτοὺς συνήλαυνον εἰς τὰς ἐκκλησίας. τοῦτο δὲ ἐποίουν ὑπὲρ τοῦ μὴ βραδῦναι· ὅσοι γὰρ ἐχρίοντο ζημίαν ἐξέτινον. — Ἄλλως. Ἐπεὶ ὀκνηρῶς εἶχον οἱ Ἀθηναῖοι πρὸς τὰς συνόδους, εἰώθασιν ὑπηρέται δύο μεμιλτωμένον (τουτέστι μίλτῳ ἤτοι βάμματι κοκκίνῳ) σχοινίον ἐκτείνοντες διὰ τῆς ἀγορᾶς διώκειν τὸν ὄχλον εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ὥς φησι Πλάτων ὁ κωμικός. ὅσοι δὲ ἐχρίοντο ἐξέτινον ζημίαν.* Cuius scholii priorem partem Suidas s. v. *σχοινίον μεμιλτωμένον*, posteriorem s. v. *μεμιλτωμένον* ita repetiit, ut priori haec verba quae in Photii quoque lexico sub eodem lemmate reperiuntur praemitteret: *Εἰ βραδύνοιεν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, οἱ τοξόται* (ita enim recte haud dubie secundum Photium pro vitioso

δημόται, quod est in Suidae libris, scribitur) σχοινίον μιλτοῦντες συνήλαυνον καὶ τὰ πρατήρια διέκλειον, eisque praeterea haec adderet: καὶ παροιμία· τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον. Assentiuntur Pollux et Hesychius, quorum ille l. VIII, c. 104 inter lexiarchorum munera hoc adfert: καὶ σχοινίον μιλτώσαντες διὰ τῶν τοξοτῶν συνήλαυνον τοὺς ἐκ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν, hic s. v. σχοινίον sic scribit: τὸ μεμιλτωμένον ἔῤῥαινον ὑπὲρ τοῦ σοβῆσαι τὴν ἀγοράν, ὁπότε βραδύνοιεν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν: ut omnes ex eodem fonte sua hausisse videantur. E recentioribus Petitus in commentario in leges Atticas p. 204, Schubertus in libro de Romanorum aedilibus p. 118, Schoemannus in libro de comitiis Atheniensium p. 62—64, Westermannus in secundo volumine relationum classis philologico-historicae societatis litterarum Saxonicae p. 168, Voldemarus Ribbeckius in adnotatione ad Aristophanis Acharnenses p. 193 istam veterum narrationem probarunt*): verum paullo cautius Schoemannus in libri de antiquitatibus graecis volumine primo p. 395 locutus est. Ibi enim funem rubricatum ita tantum sagittarios adhibuisse contendit, ut forum paene undique saepiretur atque ea via, quae ad Pnycem ducebat, sola aperta maneret: sic enim ad adeundam ecclesiam homines coactos esse: poenam autem nullam aliam nisi hanc fuisse ut sero in ecclesiam venientes symbolum non acciperent ideoque ἐκκλησιαστικῷ carerent. Omisit igitur Schoemannus δευτέραις φροντίσι fabulam istam de civibus funis ictu in ecclesiam compulsis et de poena eis, quorum vestes minio funi insperso maculatae essent, imposita: at ne sic quidem totam difficultatem solvi apparet, cum neque veterum comicorum loci, qui ad eam rem pertinent, inde iam idoneam lucem accipiant nec explicetur, quomodo grammaticorum opinio sit orta. Accedit quod, si vel leniore ista ratione ad adeundam ecclesiam per vim homines adacti essent, ne servi quidem ac metoeci ab hac vi exemti fuissent, quorum haud dubie magnus numerus semper in foro erat: neque intellegitur quo pacto sic necessitas in Pnycem properandi effecta sit, quandoquidem via ad hanc a foro non adeo brevis erat, ut sive in ipsa subsistere sive ex ea per vicos transversos alio deflectere nequirent. Nimirum de eo foro solummodo cogitari posse certum est, quod belli Peloponnesiaci tempore ita vocabatur, quoniam priscum illud, quod Pnyci adiacebat quodque ante Pisistratum in usu fuisse Ernestus Curtius (in commentationum societ. litt. Gotting. volumine XII, p. 162) probabiliter satis coniecit, ab Aristophane simpliciter ἀγορά dici non potuit. Sensit hanc difficultatem Schoemannus, qui l. c. p. 394 e veterum testimoniis concludit exiguum tantum inter forum et Pnycem fuisse intervallum atque unam viarum a foro orientium nullum nisi in Pnycem exitum habuisse: at repugnant

*) Berglerus, qui in adnotatione ad Alciphronem II, 3 populum in contionem coactum fune miniato circumdatum esse dicit, ne ante tempus dilaberentur, minus accurate rem inspexisse videtur.

topographiae Atticae rationes. Etenim sive vetus de Pnyce opinio retinetur, quam Conradus Bursianus in geographiae graecae volumine primo p. 277 defendendam censuit, sive illa secundum Ernesti Curtii (in comm. societ. litt. Gott. vol. XI, p. 53 sqq.) inventa in declivi Musei ponitur, foro certe, quod ab Areopago vel ab occidentali parte Acropolis venientibus septentrionem versus situm fuisse constat, non adeo fuit vicina.

Iam vero ut ad propositam quaestionem accedamus, de eo quidem vix dubitare licet quin σχοινίον μεμιλτωμένον non impellendis hominibus, sed saepiendis locis inservierit: eo enim saepius obvia verborum ἀποσχοινίζειν et περισχοινίζειν significatio ducit, praesertim cum περισχοινίζειν a Polluce VIII, 20 (περισχοινίσαντες δέ τι τῆς ἀγορᾶς μέρος κτλ.) de ipso foro adhibeatur. Itaque circa belli Peloponnesiaci aetatem σχοινίῳ μεμιλτωμένῳ simili modo utebantur Athenienses atque aliis temporibus γέῤῥοις, σανίσι, δρυφάκτοις, haec enim vocabula in Pseudodemosthenica oratione adversus Neaeram §. 90, apud Philochorum in lexico rhetorico Dobreeano s. v. ὀστρακισμοῦ τρόπος et in scholio ad Aristophanis Equites p. 855, apud Plutarchum in vita Aristidis c. 7 reperiuntur: de qua re fusius egit Westermannus in secundo volumine relationum classis philologico-historicae societatis litterarum Saxonicae p. 165—175. Minio autem iuncei isti funiculi, si quid video, ob eam causam aspergebantur, ut homines propius accedere caverent, scilicet ne vestes macularent. Quae si recte coniecta sunt, loci scriptorum, ex quibus tota de compulsis in ecclesiam civibus fama originem duxit, non nimis difficile intellegi posse videntur. Nimirum quod in Aristophanis Acharnensibus v. 21. 22 Dicaeopolis, qui bene mane in Pnycem venerat seque adhuc solum in ea esse queritur, haec dicit:

οἱ δ᾽ ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω
τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον,

id patet ad ea spectare quae ecclesiae die legitime in foro fiebant. Nam cum eiusmodi dies nonnihil sanctitatis haberet, accurabatur ne eius sollemnitati quidquam officeret atque in primis cavebatur, ne in foro vel indecorus hominum concursus esset vel mercaturae quidquam etiam per metoecos et servos fieret: ob quam causam circumducto fune rubricato aditus ad medium forum impediebatur. Dicaeopolidis autem verba ea describunt, quae tempore matutino ante exordium contionis fiunt. Haud pauci cives, priusquam in ecclesiam eant, aliquantisper in foro subsistunt et confabulantur: ministri publici funem extendere incipiunt: confabulantes corpora incurvando, transiliendo, currendo funis tactum effugere conantur. De poena autem eis, quorum vestes forte minio tinguntur, imminente sive de derogato eis stipendio ecclesiastico

reliqua Dicaeopolidis oratio minime cogitare sinit, nam cives illi haudquaquam post exordium contionis veniunt, quia ipsi prytanes nondum adsunt: immo ne segniores quidem ad publica negotia esse videntur, cum tandem intrantes omnes primis subselliis potiri studeant. Paullo diversa est ratio alterius loci Aristophanei, qui est in Ecclesiazusis v. 378. 379. Ibi Chremes, qui Pnycem a mulieribus occupatam frustra adierat, rem ita primo celare studet, ut iocando potius quam serio contionem multo mane dimissam esse adfirmet: in quam sententiam verbis *νὴ Δί', ὄρθριον μὲν οὖν*, quibus factum miranti Blepyro respondet, haec addit:

καὶ δῆτα πολὺν ἡ μίλτος, ὦ Ζεῦ φίλτατε,
γέλων παρέσχεν, ἣν προσέῤῥαινον κύκλῳ.

Quo praematurum tempus magis animadvertatur, lepide ita exornat commentum, ut tum demum funem iunceum Pnyci circumdatum et minio aspersum esse fingat: quod cum necessario ante initium ecclesiae fieri oporteret, potuit profecto mane fieri, non potuit cum contio dimitteretur. Nempe luce clarius est hic quidem de fune non foro, sed Pnyci saepiendae adhibito sermonem esse: cuiusmodi cancellis ecclesiarum diebus careri non potuisse apparet, ne alii praeter cives contionibus furtim interessent. Minus certum de Platone comico est iudicium, quem scholiastes Aristophanis et Suidas testem adhibent, ut narrationem de populo per funem rubricatum e foro in ecclesiam compulso confirment, cum eius versus aetatem non tulerint. Suspicari tamen licet illum quoque pariter ut Aristophanes in Acharnensibus fecit cives priusquam in Pnycem irent in foro subsistentes et funem extensum defugientes descripsisse: nisi forte eius verba ad contionem in foro habitam pertinuerunt, quales quidem contiones etiam post sublatum ostracismum non nimis raras fuisse Ernestus Curtius (in comm. societ. litt. Gott. XII, p. 156. 157) probavit. Atque ex male intellectis his comicorum locis haud dubie mira ista, de qua supra dictum est, grammatici alicuius opinio fluxit, qui minio conspersos poenam subiisse insuper finxit, doctos autem antiquitatis auctores in eo tantum secutus videtur, quod merces e foro ecclesiarum diebus sublatas esse tradidit.

Pro *σχοινίῳ μεμιλτωμένῳ* posteriore aetate cancellos ligneos vel vimineos in usu fuisse propter ante allata Pseudodemosthenis, Philochori, Plutarchi testimonia crediderim, etsi genus ecclesiarum in his commemoratum a solitis illis paullo diversum esse coniunctis Westermanni et Curtii disputationibus demonstratum videtur: ad eiusmodi enim contiones pertinent, in quibus suffragia tributim ferebantur quasque ob id ipsum in foro habitas esse est credibile, scilicet decem partibus, quarum unaquaeque suum consaeptum suumque aditum habebat, seorsim constitutis. Areopagitae et iudices de violatis mysteriis decernentes quod haud semel *περισχοινίζεσθαι* dicuntur, id num, quae

est Westermanni (l. c. p. 174) sententia, liberius posito vocabulo ad eiusmodi cancellos an ad funem iunceum referendum sit, quaerere supersedeo: quamquam fortasse in hoc quoque alio tempore alia consuetudo obtinuit. Utut hoc est, *ἀποσχοινίζειν* verbi significationi saepius obviae ex eis, quae de adhibito ad cingendam ecclesiam *σχοινίῳ μεμιλτωμένῳ* invenimus, aliquid, si quid video, lucis affulget. Etenim cum illo *σχοινίῳ* potissimum *ἄτιμοι*, *ξένοι*, metoeci, servi a contionibus arcerentur, inde derivatum *ἀποσχοινίζειν* recte et apposite de eis usurpatur, qui ab aliqua communione ob indignitatem excluduntur, id quod in quattuor quos infra posui locos vel maxime convenit. Pseusodem. c. Aristogit. I, §. 28: *ἀπεσχοινισμένος πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις, γνώσεσι δικαστηρίων τριῶν, ἐγγραφῇ θεσμοθετῶν, ἑτέρᾳ πρακτόρων, τῇ τῆς βουλεύσεως, ἣν αὐτὸς διώκεις, γραφῇ, μόνον οὐχ ἁλύσει σιδηρᾷ, ὑποδύει παρὰ ταῦτα καὶ διασπᾷς.* Plut. de virtute morali p. 443 b: *ἔτι θαυμάζουσι καὶ διαποροῦσιν εἰ τὸ θυμούμενον ἐν ἡμῖν καὶ ἐπιθυμοῦν καὶ λυπούμενον καὶ ἡδόμενον ὑπακούειν τε τῷ φρονοῦντι καὶ πάσχειν ὑπ' αὐτοῦ καὶ συνδιατίθεσθαι πέφυκεν, οὐκ ἀποικοῦν οὐδὲ ἀπεσχοινισμένον οὐδὲ πλαττόμενον ἔξωθεν, οὐδὲ τυπούμενον ἀνάγκαις τισὶν ἢ πληγαῖς.* Philo Iud. de somniis l. II, §. 27: *συλλόγου καὶ ἐκκλησίας ἱερᾶς ἀπεσχοινισμένος.* Horapoll. Hierogl. l. II, c. 103: *ἄνθρωπον πάντων ἐχθρὸν καὶ ἀπεσχοινισμένον θέλοντες δηλῶσαι ἔγχελυν ζωγραφοῦσιν.*

Epimetrum.

Cum superioris disputationis cursus bis Georgio Schoemanno, acutissimo institutorum graecorum perscrutatori, de rebus antiquis contradicendi necessitatem mihi imposuerit, eo minus nunc in animo est cum illo eam litem continuare quae de hodiernae aetatis rationibus publicis inter nos est exorta, praesertim cum quaestio de civitatis forma non solum optima sed etiam nostris condicionibus accommodatissima longioris sit indaginis neque per pagellas prooemiis academicis concessas ad finem perduci possit. Illud e Quaestionum grammaticarum epimetro, quod Schoemannus indici scholarum Gryphisvaldensium aestivarum huius anni praemisit, haud invitus intellexi, eum quoque nullis limitibus adstrictam unius sive hominis sive coetus potentiam improbare, probare autem e populari, optimatium regioque imperio mixtam et temperatam rempublicam, etsi diversissime de eorum virorum studiis iudicamus, qui per aliquot annos in Borussia sibi credita iura popularia quasi quandam arcem defendenda putarunt. Quorum plerique si et campum in quo decertarent perperam eligebant et gubernantium consilia, utpote ob involutas exteras rationes haud omni ex parte perspicua, parum cognita habebant, nunc

quidem, postquam tempus non eos solum multa edocuit, pravae voluntatis mea sententia eo minus insimulari debent, quo magis ingenua erroris confessione sincerum patriae amorem sunt testificati. Verum haec hactenus: liceat autem, quoniam scripta academica iunioribus potissimum destinantur, Schoemanniana illa commentatione ita uti ut eius parti cuidam aliquid adiiciam, quod ab his fortasse non sine utilitate legetur neque ab illo genere, de quo supra disputabatur, prorsus alienum est. Disserit enim vir doctissimus in octava pagina de variis rationibus, quibus vulgo homines libertatis nomen accipere soleant, deque eis haec dicit: «Nam vulgo longe plurimos hanc sibi libertatem expetere videas, ut quam minime legibus et magistratibus parere, munera autem quam paucissima aut tributis pendendis aut militia obeunda praestare rei publicae cogantur; alii sic demum liberos se fore putant, si summam rem publicam aut ipsi aut quos ipsi elegerint in potestate habeant, legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, pecuniae publicae domini fiant; quid quod sunt etiam, qui constare libertatem posse negant, nisi in conventibus, in quibus de re publica consulitur, adversarios suos non argumentis sed conviciis impugnare omnique genere contumeliarum impune onerare liceat». Quibus verbis quae hominum genera Schoemannus descripsit, eorum ego tertium nec quaero num exstet nec, si exstat, magnopere id curandum arbitror: verumtamen qui ab eo commissum vitium usquequaque vitare sobrie ac iuste de adversariis iudicando cupit, eum secundum a primo utpote maxime diversum quam diligentissime discernere debere puto. Nimirum cum omnium rectissime et sapientissime ei agere videantur, qui in summam rempublicam tantum valere student quantum per leges ipsis concessum est, hoc mascule tuentur, ulteriora non concupiscunt, errant profecto qui totam rempublicam sive ipsi sive per homines a se electos in potestate habere volunt, quoniam rem consectantur multifariam impeditis hodiernae Europae rationibus minime consentaneam: at possunt inter illos quoque multi esse qui generoso errore abripiuntur, siquidem, quod expetunt, non sibi solis sed omnibus civibus expetunt patriaeque emolumento fore credunt. Nec desperandum est hos quidem rerum experientia eo adduci posse, ut id quo intendunt perfici nequire intellegentes in libero civium cum regnantibus consensu felicissimam reipublicae condicionem agnoscant, talis autem si pro rerum humanarum infirmitate deficiat, satis habeant utrosque non sine idonea alterius partis observatione sibi debitam potestatem exercere. Atqui perniciosissimum et quovis modo impugnandum cohibendumque illud hominum genus est, quod libertatem in eo ponit, ut non solum legibus et magistratibus quam minime parere, sed etiam munera quam paucissima aut tributis pendendis aut militia obeunda praestare reipublicae cives cogantur: quod genus inter nostrates

haud ita rarum esse non possumus non erubescentes confiteri. Quanto, ut de Spartanis taceam, quos in stricta publicorum officiorum observatione quandam nobilitatem posuisse vidimus, in hac quidem re illa, quae nunc despicatui est multis, Atheniensium democratia superior fuit? In qua ut iure civium frui summum decus habebatur, ita illo imposita *ἀτιμίᾳ* privari in gravissimis poenis erat: neque ignorabatur cum publico iure officia publica arctissime coniuncta esse, etsi, id quod anterior disputatio docuit, non tali modo qualem nonnulli grammatici excogitarunt ad ea exsequenda homines adigebantur. Nec solum comitiorum et iudiciorum participem esse, sed etiam militia fungi et vectigalia pendere in honore poni solebat: id quod cum inde cernitur, quod in fori Attici reliquiis saepenumero perfunctis officiis militaribus, praestitis tributis, donis ultro in publica commoda additis litigantes gloriantur, tum vel maxime ex praeclara inscriptione elucet, secundum quam Lycurgo rogante Plataeensem hominem nomine Eudemum de se optime meritum eo praemio Athenienses adfecerunt, ut praeter domum et agrum in Attica possidendi veniam ius una cum civibus militias agendi et tributa pendendi ei impertiretur: leguntur enim in illo monumento, quod praeeunte Pittakisio Aemilius Eggerus in memoriis ad historiam antiquam et philologiam spectantibus p. 60 edidit, haec verba: *δεδόχθαι τῷ δήμῳ ἐπαινέσαι Εὔδημον Φιλούργου Πλαταιέα, καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν θαλλοῦ στεφάνῳ εὐνοίας ἕνεκα τῆς εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, καὶ εἶναι αὐτὸν ἐν τοῖς εὐεργέταις τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων αὐτὸν καὶ ἐκγόνους, καὶ εἶναι αὐτῷ ἔγκτησιν γῆς καὶ οἰκίας, καὶ στρατεύεσθαι αὐτὸν τὰς στρατιὰς καὶ τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρειν μετὰ Ἀθηναίων.* Quam rem rectissime Eggerus admonuit eo maiore attentione dignam esse, cum non Periclis vel Archini tempore, sed aliquot post pugnam Chaeronensem annis, anno scilicet tertio Olympiadis centesimae duodecimae archonte Aristophonte facta esset. Eum autem qui inde elucet Atheniensium sensum ut nostri homines recordentur et, quantum fieri possit, suum faciant nullo tempore magis quam nunc exoptandum videtur. Nam postquam per longam annorum seriem apud nostrates turpi inaequalitate ita partes distributae fuerunt, ut labores atque onera quae defendendae patriae officium iniungit Borussi ferrent, reliqui Germani fere communem patriam inter coetus et convivia cantando et declamando praedicarent ideoque sibi nonnumquam magis Germani esse viderentur, nunc demum omnes septentrionalis saltem Germaniae incolae illud nacti sunt, quod Eudemo Plataeensi Athenienses adnuerunt quodque in graeca inscriptione vocatur *στρατεύεσθαι τὰς στρατιὰς καὶ τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρειν μετὰ Ἀθηναίων.* Quod quanti sit, vos prae aliis, studiosi iuvenes, volutare vestris animis decet, ac maxime quidem eos vestrum, quibus nunc ipsum arma gerere contingit. Qui quidem sedulo sunt commonefaciendi, ut ne inferius suum decus



sibique impositos labores minus utiles existiment, nisi proelia committere sibi concedatur: reputanto enim pulcherrimum militis munus non in propulsando, sed in deterrendo hoste esse positum longeque fructuosiorem exercitus operam patriae esse, si conservare indubitata virtute quam si pugnando obtinere pacem valeat. Ei autem vestrum, qui sive propter corporis debilitatem sive propter alias rationes arma gerere nequeunt, et ipsi meminerint se pariter atque illos militare debere, siquidem veri, pulcri, honesti studium est militia suos sibi impigerrimos labores suamque haud raro contra graves adversarios fortitudinem flagitans, eamque militiam talem esse unde non minus ad patriam summa commoda redeant. Atque cum nunc in Germania novus rerum status fundetur potius quam aedificetur, quem per postera lustra magis magisque consolidatum, exornatum, amplificatum iri speramus, vestras adhuc in ea re haud minimas partes fore, carissimi qui iusto nomine appellamini commilitones, cogitate atque academicorum studiorum praeparatione ita vestras mentes instruite, ut sustinendis perpetrandisque eis ad quae aliquando tempora vos vocabunt ne impares sitis. Vos autem, qui ex Hassia oriundi estis, illius fidei et constantiae, qua olim patres vestri inclaruere, ne umquam obliviscimini, vobisque feliciorem quam illis sortem contigisse existimate, non quo suavius et commodius vitam vobis degere liceat, sed quod longe latiorem in quo vestra virtus excurrere cognoscique possit campum non sine laeti spe eventus vobis apertum videtis: quae res dici nequit quantopere vires augeat et animos alat. In quo campo si paternae illius fidei constantiaeque intra angustos minutae civitatis fines exhibitae exemplum cum coniuncta Borussiae Germaniaeque salute recte imitabimini, vestro cummaxime nomini id quod est in Evangelio paratum sentietis: *ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστός, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω.*
